



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CCXVIII. Differentia 3. Delinquens iure civili sortitur forum loci, in quo
deliquit, non obstante aliquo privilegio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

DIFFERENTIA 3.

Delinquens iure civili sortitur forum loci, in quo deliquit, non obstante aliquo privilegio. Auth. Qua in provincia, C. Vbi de crimine agi oportet. At iure Canonico minor quidem sortitur forum delicti, sed maior (puta archiepiscopus) in gravioribus à solo Papa iudicatur, c. n. de raptor. jun. Glo.

Decianus l. 2. c. 22. n. 13.

I. Concilii Meldensis in *co. cit.* decretum est, ut raptores, ac prædatores ab illius loci, in quo delinquant, prælato excommunicentur, & ibidem dignè satisfaciant. Rationem *Glossa* assignat, quia ibi crimen puniri debet, ubi quis deliquit, & ratione delicti sortitur quis forū, *c. l. 3. q. 6. c. Placuit 6. q. 3. c. Postulasti, de foro comp. Auth. Qua in provincia, C. Vbi de crim. agi oportet.* Nec verū est, quod aliqui dicunt, ibi conveniendos, causam verò à proprio iudice terminandam esse: sed Iudex loci delicti potest clericum condemnare, sententia tamen executioni mandabitur per episcopum proprium, *c. Postulasti, de foro comp.* nisi velit iudici illius deferre, vel remittere ad illum condemnandum, sicuti dicitur de metropolitano, qui potest absolvere excommunicatum à suo episcopo, nisi velit illi deferre, *c. Per tuas, de sent. excomm.* nec dicitur terre sententiam in alienum subditum, sed in suum ratione criminis. Tamen si crimen facile fuerit, potest de illo cognoscere suus Iudex; si verò grave fuerit crimen, remittetur ad locum delicti, *t. de fertorem, ff. de re milit.*

II. Ab hac tamen generalitate exci-
Antinomia.

pitur quilibet superior, qui ubicunque crimen committit, non potest iudicari nisi à Papa, si agatur ad depositionem. Quod si crimen tale est, quod non inducit depositionem, *Hugo* dicit iudicari posse à suo majori, & non ab inferiori, si crimen committat in sua parochia. Sed si Archiepiscopus committat tale crimen in parochia alterius archiepiscopi, vel episcopi suffraganei alterius episcopi, posse tunc iudicari ab archiepiscopo, vel episcopo idē *Hugo* existimat, *argum. c. Duo, dist. 96. ubi S. Ambrosius* ratione criminis commissi, in sua parochia excommunicavit Imperatorem, quod aliàs non liceret. Ita *Glossa*, sed *Barbosa* notat, tunc remittendum esse ad locum delicti reum, quando id pars læsa exigit: aliàs si accusator prosequi velit causam in loco, in quo reperitur vagabundus, admittendam esse accusationem remissionis curā omisā. *V. Covarr. l. practic. qq. c. II. Iul. Clar. §. fin. q. 38. Azevedo, l. I. n. 24. tit. 16. Bern. Diaz in pract. crim. c. 9. in addit. lit. D. Piafec. part. II. c. 4. n. 25. Silvest. v.*

*Confessor, §. I. n. II. Armilla
v. Forus, n. 2.*

Hh

CCXIX. DIF-